

1163

CODICES

1164

ster) *Wienne ad sanctum Michaellem. Anno d. M^o. CCC^o. LXXV. in die Gregorii. Finite recte in pulsu campane quæ vocatur piratarum cum horologium signaret duas horas in nomine christi. Horas noctis intelligo, et Campanam joculariter Piratarum dictam die Bierglocke, qua nempe sub noctem signum dabatur claudendis Tabernis cerevisiariis.*

II. fol. 140. ἀδελφότης Tractatus mysticus de Contemplatione in Articulos divisus, quorum IV. abrumpitur. Singuli ordiuntur ab illo Threnor. c. 3. *Sedebit solitarius et tacebit &c.* et I. quidem ita profequitur: *In hoc verbo notatur Anime contemplatiue perfectio que serenata sedens in suis actionibus &c.* Sub finem II. citatus Radulfus Flaviac. in *Leviticum* probat Opusculum posterius esse Sec. XII.

III. fol. 142. *Incipiunt sententie Prosperi in libros beatissimi augustini episcopi et doctoris eximij. C. 1. De vera innocentia. Innocentia vera est, que nec sibi nec alteri nocet &c.* Ut edit. *Opp. Prosperi Aquit. Paris. 1711. col. 543. f.*

Varietatem lectionis, quam offert Codex, paene omnem jam Editio mox dicta in Notis adtulit. Ad calcem: *Anno Domini 1374. finite sunt sententie prescripte. In vigilia sancti Martini.*

IV. fol. 151. ut e calce adsumo: *Postilla fratris Nycolai de lira super Job sacre theologie Doctoris. Initium: Patientiam habe in me et omnia reddam tibi &c.* ut v. g. in *Bibliis glossatis* edit. *Lugd. 1545. T. III. fol. 5. f.* Finita dicitur *Anno Domini 1374. in die sancte Lucie fere hora 6^a sole existente in,* et nihil ultra.

CCCCLXXV.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 3285

XIV. Folior. 178. f. per duas columnas nitidissime exaratus, coloribus speciosus, et quondam *Monasterii Garstensis O. S. B.* in super. *Austria* aliud est *Sententiarum Petri Lombardi Exemplar* integrum, nisi, quod solus *Liber I. Elenchum Distinctionum* praeivium habeat, cui etiam minio praescriptum est:

*In numero cleri quisquis vult promptus haberi,
Est opus, ut scriptis iugiter meditetur in istis.*

CCCCLXXVI.

U. 282 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 376. f. per duas columnas caractere luculento, atro scriptus, rubricis distinctus in theca anteriore hanc Notam praefert: *Iste liber fuit domini Tyboldi capellani in Chrems. Hunc emi ab*

*eodem ego Stephanus de Egembur-
ga. Canonicus is fuit Vienn. et a.
1433. totam Academiam rexit.* Infunt vero Codici *Petri Lombardi Libri IV. Sententiarum* incipientes a prologo: *Cupientes aliquid de penuria &c.* quem excipit *Index Distinctionum* et *Capitulum Libri I.* et sic reliqui etiam *Libri*